



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1657

§. 131. Et velauerunt eum. v. 64.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

vexatione & illusione tua certam spem salutis, & expectationem gloriæ
tempiternæ consecuturum me confido.

§. 131. *Et velauerunt eum. v. 64.*

Vt sese recrearent, varia ingenio malo adinuenerunt opprobria, in
quibus, qui excelleret, ille inter eos amplior videbatur, ita enim fieri solet
inter ardeliones, qui vbi conuenerint, ingentem habent gazam ironiarum
& propudiorum. nemo ibi ingenio vult cedere.

§. *Ed cur tu, ô pater Iuste, Pater omnipotens, qui habitas in cœlis, non
confundis eos & facis, vt lingua loquentium iniqua arefcat, aut faucibus
eorum adhæreat? causa est, quod hæc sit hora hominum, & potestas tene-
brarum, quam permittere voluit Dominus, vt nos ab illis tenebris & po-
testate liberaremur æternum.*

§. 132. *Et percutiebant faciem eius. v. 64.*

Plenam maiestate & decore: tam sæpe, tam dirè, tam crudeliter, vt
per impactos illi colaphos intumuerit, dentes commoti sint intra gingiuas,
barbam multis in partibus euellentes, cuius mentionem Euangelistæ
quidem non faciunt, sed Prophetæ & inter alios Isaias dicens: *genas meas
dedi vellentibus.* Verum quam grauis eiusmodi Christo ignominia irrogata
fuerit cum illi barbam conuellebant, ex Clementis Alexandrini verbis fa-
cile colligi potest. sic enim inquit: *Hos pilostanti fecit Deus, vt eos, cum ad pru-
dentiam atas hominis accedit simul adesse, hominibus iubeat, & infra subdit, Nefas
est barbam vellere, quæ est pulchritudo congenita, pulchritudo generosa &
ingenua: insuper hanc Seruatoris venerandam faciem ludibrio habebant,
iuxta Isaiam dicentem; Faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuenti-
bus; §. Iob etiam præter iam dictas iniurias eandem verberibus cæsam præ-
dixit: Exprobrantes percusserunt maxillam meam.*

§. *Alue igitur, & millies salue sancta facies nostri Redemptoris, in qua ni-
det species diuini splendoris, hodie refulgens in cœlis, & in iudicio ex-
tremo illustratura mundum vniuersum, Te Religiosi & Ecclesiastici ordi-
nis viri multi honorant, cum ad tuæ conuulsionis venerandam memo-
riam exprimendam genas suas & barbas veteri more radunt, & decal-
nant,*

§. 133. *Et interrogabant eum. v. 64.*

Omnis generis curiositates, nequitias & vilitates (quas homini
honesto est nefas loqui) exercuerunt isti furciferi; irridendo eius
cencio-